



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 13. Cavet Dei offensam, mundat; servat præcepta. Textimonia ex Veteri, & Novo. Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

enim ad sapientiam, & iudicem spectat arguere; ita proprium amoris est dare. Esth. 2. 17. *Adamavit eam rex &c. & posuit diademam regni &c.* Cum amarit plus quam omnes; plus quam omnibus ei dedit. Gen. 44. 1. *imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere.* Oleast. hæc est mensura; quam solet facere amor. Sylveira. hic. quæst. 13.

Deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas, quantum habes. Orig. in Cant. hom. 3.

Homo se totum dat per amorem; & dat tantum, quantum amat. Est igitur comprimis tunc datus Deo, quando summè amat ejus Bonitatem, S. Franc. Sales. l. 10. c. 3.

§. XIII.

Amor caret Dei offensam, mundat, servat præcepta.

Quemadmodum desiderat cervus &c. Pl. 41. 2. Quid aliud est in cervo? Serpentes necat; & post serpentium interemtionem majore siti inardescit; peremptis serpentibus ad fontes acridis currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. S. August. hic.

Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie sylva: ortus est sol, & congregati sunt. Pl. 103. 20. 22. Videas hominem, cujus cor, grassante nocte, innumeris tentationum & passionum monstris devastatur. Noli venabula querere; non jacula acue: cura, ut sol nascatur; & mox abacta monstra gaudebis. Sol amor in Deum est; amor Dei passionès omnes fugat catervatim, quos jejunia, vigiliae, cilicia; vix carptim abigerent &c. Oliva l. 2. Stromat. hic.

Fortis ut mors dilectio. Cant. 8. 6. Bene fortis ut mors dilectio esse perhibetur: quia dum per dilectionem à vitis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hac agit dilectio in cupiditatibus mentis. S. Greg. in Cant. hic. Sicut mors separat animam à corpore suo; sic, qui verè diligit, recedit ab omni eo, quod possit displicere dilecto. Magdalena ergo; quæ multum Dominum, dilexit, omnes carnis delicias dereliquit, & quidquid scire potuit esse contrarium Christo. Lucas de Arcon. in J. 2. Discursu 2. Sicut mors victos nunquam patitur rebellare; & cadavera exedit suis latebris condita; ita charitas jugulata à se vitia non sinit emergere; & pestes animi ita sepelit, ut obrutis nulla spes subit recuperanda libertatis. Id causa fuerit, cur Moyses non evertit vitulum; sed exussit, tritumque calcibus misceverit: ut hausto nulla spes superesset resumenda figuræ damnatae. Ex. 32. 20. Perit ita vitulus, ut Pharaon in aquis. Oliv. Dom. Paschæ.

Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans. Marc. 14. 13. Bajulus aquæ amor Christianus est, atque virtutum. Bajulat aquæ mensuram, gratiam videlicet, amor; ut tan-

tum sit gratiæ pondus, quantus est ipse amor. Bajulat amor aquam abluitionis, & potus: nulla re melius, quam cum amoris aqua lavantur fœces; & malis caloribus æstuat potus refrigerium suscipit. Sim. de Cass. l. 13. c. 2.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Vult ergo, ut ignis missus ardeat ad amorem, accendatur ad lumen, ardeat ad victorum combustionem. Id. l. 9. c. 24. Venis, piissime Jesu, tanquam agnus sanguine tuo terram mundaturus; tanquam agricola in cordibus mortalium gratiæ semina, felices virtutum plantas, positurus; & ignem minaris? S. Christol. f. 164. ager, quoties longâ incuriâ sylvestit, peritissimi cultoris utili semper operitur, & purgatur, incendiò; ac studio benignò cultor ignis apponitur, ut, exussis sentibus, reveletur prima facies campi, fiat facilis via vomeri. q. d. Si ligone infelices dumos conaretur profternere, non solum tardius, & molestius, sed etiam infructuosius laboraret; at flammis, & incendiò, unius diei spatio, grandis ager operitur, & ipso cinere pinguescens in latam libertatem fecundatur. Idem est, si charitatis flammis sylvestenti cordi penitens immittas: longè enim svavius, & efficacius, ac fructuosius, rem perages. Ramirez Apoc. 2. Luc. 12.

Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solò de cunctis criminibus reportare victoriam S. Chrysol. f. 94.

Ubi dominatur incendiùm charitatis, ibi victorum rubigo consumpta est. S. Laurent. Just. de triumph. ag. c. 1.

Amans in fornate è pulvere vitrum purum consistat. Lem. *Purò decor omnis ab igne est. Caritas operit multitudinem peccatorum.* 1. Petri 4. 8.

Testimonia.

Ex Veteri.

NE forte moriamur. Gen. 33. Oleaster hic. Noverat serpens, ut plurimum timore potius, quam amore; nos servare præcepta: cum enim suadere peccatum nobis nititur, non illi objicimus Præceptoris amorem, sed potius vindictæ timorem. Quis mihi daret, ut cum quis peccatum suaderet, responderes: diligo Deum meum super omnia; ideo nolo illum ullò modo offendere: qualiter respondisse novimus Sanctum Joseph impudicæ sceminae adulterium suadenti. Ramirez ep. 4.

Timore mortis, non amore Dei creatoris, à peccando inhiberi video mulierem. Bonus quidem timor, sed multò præstantior amor; nè sine amore timeas, monet. S. Aug. Sanè innumeræ suppetebant mulieri rationes, quibus ad amorem Dei creatoris accenderetur, atque ob amorem ab omni adversus Deum offensâ, culpæque, longissimè avocaretur. Dixisse debuerat serpenti: quomodo possum peccare in Deum meum; à quo sum tot, tantisque beneficiis cumulata. O si dixisset: Diligo Deum meum; ideo nec volo, nec deo, nec possum illum offendere. Sic statuo: si tam

si tam egregium erga Deum eliciisset amoris affectum; licet mille serpentes, totaque daemonum caterva conjunctis viribus in mulierem conspirassent; victricem illam haud dubie de toto Inferno triumphaturam. Bened. Fernandus hic.

Qui diligitis Dominum, odite malum. Pl. 96. 10. Certum est, quod quantum diligit homo Deum, tantum odit peccatum; si multum diligit, multum odit. S. Bonav. D. 17. Pent. f. 3.

Confige timore tuo carnes meas. Pl. 118. 120. Sed videamus, qui clavi sint, qui nos in illa Domini crucifixione configunt: charitas utique, quæ nos facit & tormenta nostra negligere, & mortis ipsius pericula plus amare. Cassiodorus hic.

Amore langveo. Cant. 2. 5. Primus gradus, in quo charitas facit langvere utiliter. Super hunc gradum anima pedem affectus ponit, cum primo amare Deum incipiens, à peccato langvescit. Verum *infirmetas hæc non est ad mortem.* Jo. 11. 4. nisi forte ad mortem mortis, scilicet peccati mortalis. O infirmetas gloriosa, non periculosa! *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* 2. Cor. 12. 9. utilis infirmetas hæc multipliciter: quia aufert animæ gressum ad illicita; mutat situm, ut jaceat prona per humilitatem, quæ stabat erecta per elationem. Mutat gustum, ut amarefecat animæ peccatum, quod antè libuit. Sapit aliquantum summum bonum, quod antè non sapuit. Mutat pulsum in brachio operis, cujus causa est spiritalis mutatio cordis. Mutat vultum. Poëta: pallet omnis amans, color hic est apertus amanti. S. Thom. opusc. de 10. gr. am. gr. 1.

Ex Novo.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 22. 37. Dilectio cavet offensam Dilecti; &, si accidit, confestim movet, cum advertit. Sim. de Cass. l. 11. c. 53.

In his duobus mandatis tota lex pendet, & Propheta. Matth. 22. 40. Admiranda complexio! in uno capite dicere, quod in Scripturis Sanctis omnibus possis invenire: nam, qui Deum ex toto corde diligit, locum vitii non relinquit. Ubi enim intret scelus, cum Deo totus occupatus est animus? diabolus enim vacantia desiderat, nudata perquirat. Sed ubi Deum præsentem reperit, sub magna confusione discedit. Vascula ipsa, cum aliquo liquore plena sunt, superventium augmenta non capiunt; ita nos, si Divina charitas totos repleat, non erit, quod crimen introeat. Cassiod. in Pl. 133.

Relictio eò fugerunt. Matth. 26. 56. Deficit in charitate, qui deserit non deserendum. Charitatis verò defectus advocavit timorem, quia ipse in charitate non fuerat; cum verò assuerat, convertit in fugam. Simon de Cass. l. 13.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; Luc. 7. 47. Mare charitas est, in quam quotquot influxerint cri-

minosi, elutò limò, erasòque nomine; amare tantum dicuntur. Oliv. sup. Evang. Quadr. fer. 5. D. Pass. Id insolitum, quod absoluta à Christo audit, *vade in pace*, id est in pace, ligatò pene fomite, & habitibus pravis penitus consopitis, vitorum rebellione superatà; Quot alii penitentes in durissimo, & continuo bello, cum vitis, cum carne decertarunt! cur Magdalena 7. antè demoniis plena, jam pacifica degit, jam bella non timet? quia non utcumque dilexit penitens, sed *multum dilexit.* S. Petr. Chrysol. l. 94. de Conv. Magd. ama homo Deum, ut possis omnia sine labore vincere peccata. Ramirez ep. 2. Quamvis Magdalena abundanter fleverit, pedes lacrymis laverit, capillis terferit, osculata fuerit, & unxerit; tamen istis non attribuitur remissio, sed soli dilectioni: quia sine dilectione parum valuisent. Sylv. hic. q. 25. Magdalena in pace dimittitur, ad altera verò vix absolvitur, cum monetur, nè relabatur in scelus Jo. 8. 11. *vade, & jam amplius noli peccare.* Nimirum hæc rarius peccaverat, sed & frigidius doluerat. Illa peccatrix fuerat; sed multum diligebat. Oliv. l. 4. Strom. hic. Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conversionis est affectio charitatis cordi infusa visitatione S. Spiritus. S. Greg. lib. 2. in 1. Reg.

Si diligitis me; mandata mea servate. Joan. 14. 15. Conformitas voluntatis est proprius effectus dilectionis. In arca testamenti aurò undique contexta, decem legis mandata; ita in aureo corde per charitatem lex DEI semper conservanda. S. Thom. lib. 3. contra gentes c. 151.

Ex Patribus, & aliis.

In luctamine quoque eo, quod est nobis adversus diabolum, quod frequenter cadimus; non dubium est, quin ob hoc fiat; quod non est in nobis charitas illa, quæ nunquam cadit. Orig. hom. 1. in Cant.

Misus est Spiritus Sanctus ut amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; amaverunt, & impleverunt. S. Aug. in Pl. 90. ante finem.

Vide, nè desperes homo: remansit tibi, unde piissimo satisfacias Creditori. Absolvit vis? ama: charitas cooperiet multitudinem peccatorum. S. Chrysol. l. 94.

Si Christum diligereamus, quemadmodum illum diligere oportebat; agnosceremus utique, gravius esse gehennâ ipsâ, Christum offendere dilectum S. Chrysol. serm. 4. in Rom. 2.

Hoc curemus, dilecti, nempe ut dilectionem Dei cognoscamus. Plus enim istud habet momenti, ad attrahendum animas nostras, quam metus gehennæ. S. Chrysol. serm. 7. in Ephes. 3.

Cha-

Charitas nescit peccare, cum diligit; charitas non est charitas, si delinquit; charitas Dei cultos est sanctitatis. S. Chrysol. l. 94.

Homo scuto, & armaturâ, munitus amoris tui, benignè Domine Jesu, in tentationis prælio stat inconcusus, invincibilis, atque firmissimus. Idiota c. 15.

Ubi est amor Dei, omnia mala recedant. S. Chrysol. in Pl. 140.

Qui non amat, amicus non est: ille autem non amat, qui amat iniquitatem. Petr. Blef. tr. de amicitia.

Non pertinet, Domine, ad te, nec de tuis est, qui te non diligit; nec diligit te, qui scienter offendit. S. Cyprianus de Bapt. Christi.

Nulla res sic nos ab omni peccato servat immunes, sicut timor supplicii, & amor Dei. S. Prosper. de vita contempl. Sacerd. l. 3. c. 10.

Charitas affectionum omnium potentissima, in omnibus semper invicta, summa actionum bonarum, mors criminum, vita virtutum. Id. c. 13. Ex ea parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum: quem si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desiderii serviamus. Id. c. 15. Illi perfecte diligunt Deum, qui volendo, quod vult Deus; & nolendo, quod non vult; acquiescunt. Idem ib.

Qui verò amore verè fertur in Deum, instar gladii bicipitis quemcumque amorem alium hujus Mundi interrumpit, ac dirimit. S. Ephrem. serm. ad pietatem.

Qui parùm amat Deum, non multum odit peccatum. S. Franc. Sales. c. 13.

Omnia periculosa, omnia mortifera, magno compendio possumus evadere, si salutis nostre diligamus authorem. Cassiod. in Pl. 96.

Domini amare, est mandata ejus servare. Tunc Deum super omnia diligimus, si minis & blanditiis, impulsus contra præcepta Dei agere; dignitates, gloriam, omnem demum substantiam amittimus, ipsum etiam corpus ad diversa supplicia mortis prius tradimus; quam à præceptis Domini recedamus. S. Honorius serm. in Quinq.

§. XIV.

Amoris Dei Comites

Primus Amor proximi.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Ascendentes, & descendentes per eam. Gen. 28. 12. Per dilectionem DEI ascenditur, & per dilectionem proximi descenditur. S. Laur. Just. l. de obed. c. 28.

Ipsa quoque rextura &c. eris ex auro, &c. coccumque bis tincto. Ex. 28. 8. Moyses, cum per colores vestium. Electorum virtutes exprimeret, in ornamento Pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi. *Polyantha Sacra.*

Quid namque per coccum, nisi charitas designatur; quæ semper flammâ amoris accenditur. S. Greg. hom. 16 in Ezech. c. 40.

Sumesque duos lapides onychinos. Ex. 28. 9. Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei, & proximi. S. Prosper. de promiss. & prædict. Dei parte 2. c. 2.

Due tabule Legis. Ex. 32. 19. Peccatum idololatraturum erat contra unam tabulam: primo enim præcepto adverbatur. Et tamen Moyses utramque confregit: ut significaret Dei charitate perditâ, proximi amorem etiam facile amitti. Philipp. Diez in Comm. Apost. conc. 1.

Pars similis, quæ offertur; concremator Domino in altari, pars autem Aaron, & filiorum ejus usibus reservatur. Lev. 2. 2. 3. In quibus gemina notatur dilectio, ut nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo, diligatur. Petr. Blef. ep. 50.

Obsecro, ut in me fiat duplex spiritus tuus. 4. Reg. 2. 9.

Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Psalm. 17. 22. Via Domini sunt dilectio Dei, & charitas proximi. Cassiodorus hic.

Dominus regnavit, irascentur populi. Pf. 98. Habeto charitatem in Deum, & in proximum; & eris sedes Dei, pertinebis ad Cherubim. S. Aug. hic in Psalm. 98. post initium.

Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Pf. 138. 8. id est, quâ ratione tuam iram, ô Deus! fugere poterò? Respond. *si sumpsero pennas meas aluculo.* v. 9. Aug. hic: quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis. Has, inquit, alas si recipiam; possum effugere à facie tua ad faciem tuam, à facie iratâ ad faciem placatâ. Ramirez in Eccl. Ethol. 46.

Domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21.

Decoloravit me sol. Cant. 1. 5. Decolorari à sole, est ignescere charitate fraternâ; flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. S. Bernard. hic. l. 2. 8.

Murennulas aureas faciemus tibi vermicularas argenti. Cant. 1. 10. Per aurum dilectio erga Deum, per argentum amor proximi denotatur. Philo Carpath. hic: his ornamentis opus est sponsæ, ut dilecta sit, & chara sponso suo Christo Jesu: cui neque amor proximi sine amore proximi satis placere potest. Utramque ergo sancta anima rectè amet oportet, ut supradicta ornamenta digna sit accipere. Did. de Castillo Ill. 62.

Omnes gemellis feribus. Cant. 4. 2. Solæ descenderunt in aquam fideles animæ, sed duplici Spiritus Sancti partu ornata; fecundissimæ ascenderunt, charitate videlicet Dei, & proximi; nec ulla sterilis esse potest inter veras Christi oves: geminâ quippe semper dilectione fecundus esse debet bonus Christi servus. Philo Carpath. hic.